



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Litigivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

d. c. fraternitati. & Bart. in l. Lucius ff. de fideiussoribus.

LITIGIVM.

LITIGIVM quo quis se omnibus opponit verbo, vel motu, quibus molestus facit, intendens proximum confundere, vel contemptibilem, aut despectum reddere, mortale est, contra charitatem proximi, aliis veniale, contra virtutem affabilitatis. ex Caietan. in summa ibi. Proprie autem in verbis litigium consistit.

LITIGARE in iudicio, secundum Th. i. Cor. 6. quatuor modis peccatum est. Primo, ex irrationabili causa, puta ex avaritia vel odio. Secundo, ex modo litigandi, ut non loquendo cum adversario, & ut inimicus se habendo. Tertio, fraudulenter, & perverte procedendo cum cautelis, & alijs, ut fieri solet inter malignos. Quarto, quando ex hoc sequitur scandalum, ut si dives pauperem impotentem nimis atteret, cui donare deberet, vel fortunam pinguiorem expectare. Communiter enim hæc sunt mortalia, contra charitatem proximi. Si autem de re modica sit sine iniurijs, & scandalo, mortale non erit.

LITIGANS, & sciens causam esse iniustam, quam defendit, in principio, vel in processu, & non desistens, tenetur adversæ parti de damno. argum. in cap. dominus. de secund. nupt. De ordine litis iudicialis, vide Sil. versiculo, lis. Quomodo autem peccatur per advocatos in litibus, dictum est supra, verbo, Advocare, circa medium.

LIVELLVM, quod idem est quod emphyteosis: supra, Emphyteosis, per totum.

LOCATIO.

LOCATIO importat concessionem factam personæ, vel rei ad usum, cõventa mercede in pecunia numerata: & si aliud daretur, nõ esset locatio, sed contractus innominatus. Conductio verò est personæ, vel rei ad usum exceptio interveni pecuniariz mercedis: ita quod conductor est, qui solvit pensionem: locator au-

tem, qui dat ad usum modo dicto. §. si quis. ff. deposit. l. 1. Si verò conductio sit respectu operis, est econverso. Nam qui ponit operas est locator, & qui solvit est conductor. ff. cod. tituli. Item quaritur. §. 1. Et si est conductor rei urbanæ, dicitur inquilinus, rusticæ verò colonus.

OMNIA quæ vendi possunt, possunt etiam locari, exceptis servitutibus prædialibus, ut iter, actus, via & c. quæ locari non possunt. gloss. & text. in l. locare. ff. loca.

SERVITUTES personales, quæ sunt usus fructus, bene possunt locari. l. arboribus. ff. de usufruct. sed non servitus usus. Instic. de usu. & habit. §. minus.

RES venialis locari nõ potest æstimata periculo conducentis, quod ad perditionem, & deteriorationem, sed videtur fieri in fraudem usurarum, quia res æstimata intercedit loco pecuniæ. l. si verò. ff. solu. matrimo. nec est vera locatio, quia locator rem suo periculo tradit. Locati possunt fructus decimarum ad annum censum laicis, secundum Panor. in c. etiam de loca. & condu.

PRAELATVS potest locare fructus rei ecclesiasticæ ad parvum tempus, quod est infra decennium, secundum gloss. in clemen. i. de reb. eccl. non alie. & si obijciatur, quod Paulina determinat tempus triennij. Respondent quidam, quod illa non est in usu, vel quod fuit revocata per Sixtum: secundum aliquos: vel quia dicitur ibi, præterquam in casibus à iure permisis, & sic quod est secundum ius, erit secundum Paulinam, & quia secundum ius est spatium novenij, quod dicitur parvum, secundum Doct. ideo videtur, quod possit fieri locatio per novennium, nõ obstante d. Paulina. Si quis tamen bene consideret verba Paulinæ, clarè videbit, quod huiusmodi locatio fieri non potest. Si illa sit acceptata, quod mihi est dubium, an univèrsaliter. Vide supra, Excommunicatio 62.

NON licet locare operas suas clerico pro divinis officijs dicendis, aliàs esse